

1552 juliol 7. Era de Pal, Ordino

Els representants del Consell General de les valls d'Andorra nomenen [Pere] Domenge, prevere beneficiat dels beneficis de santa Maria i dels sants Esteve i Cebrià instituïts en l'església dels Sants Corneli i Cebrià d'Ordino, i Guillem Bons, de Pal, presents, procuradors seus a les corts generals que s'han de celebrar a Montsó. Els antecedents d'aquesta procura estan en la constatació per part dels membres del Consell General que els habitants de les Valls viuen sota l'opressió i els greuges dels oficials reials i veuen perillar els seus privilegis i llibertats, raó per la qual volen el reconeixement del seu estatus per part del rei d'Aragó.

[O]. Original no localitzat. — R. Nota de llibre notarial, Andorra la Vella, ANA, TCN, núm. 137, fols. 2v-3v.

a. PUJAL; LLADÓS, *La Domus*, pàgs. 186-187.

Noverint universi quod nos, Ioannes Raymundi Fontana loci del Vilar, Ioannes Vidal, de Arinsolt, consules, Petrus Martir Viciat loci de Merixell, Ioannes Bonit loci del Vilar, consiliarii, omnes parrochie de Canillo, Geraldus Tomas, Ioannes Tomas, de la Grau, consules, Ioannes Anthonius Torres, alias Beringuer, loci de Mosquera, Bernardus Rossell, alias Casal, loci de les Bons, consiliarii, omnes parrochie d'Encamp, Anthonius Pal, Arnaldus Vidal, consules, An[tho]nius Rossel, Guillermus Oliva, consiliarii, omnes loci et parrochie d'Ordino, Ioannes Gibergua loci de l'Aldosa, Petrus Puy loci de Cespony, consules, Anthonius Torner loci del Puyol, Guillermus Bons loci de Pal, consiliarii, omnes parrochie de la Massana, Bartolomeus Ricart loci d'Angordany, consul, Gervasius Moles loci Andorra, Iacobus Babot loci del Puy, consiliarii, omnes parrochie de Andorre, Micael Albinyà loci Albinyà, Raymundus Danís loci Sancti Iuliani, consules, loci de Bexesarri, Ioannes Martí loci d'Eixovall, et Anthonius Thor loci de Bexesarri, consiliarii, omnes parrochie Sancti Iuliani de Lòria, et in herea de Pal, de Ordino, ad tenendum Consilium Generalem dictarum vallium Andorre circa infrascripta, prout iam alias pro talibus vel similibus negociis universitatum et singularium dictarum Vallium tangentibus ibi vel alibi solitum est Consilium Generale tenere et celebrare. Nos, omnes predicti, concordantes et nemine discordantes, universitates et singulares omnium vallium predictarum Andorre, absencium, presencium et futurorum, representantes habitoque prius inter nos consilio et matura deliberacione ach diligenti colloquio, attendentes et

considerantes sacram, cesaream, catholicam et regiam maiestatem domini imperatoris vel serenissimum principem [et regem Aragonum] indixisse curias generales celebrandas seu [...]as in villa Montissoni et ad illarum celebrationem convocasse om[nes et singulas] universitates et alias convocandas; attendentes nos, dicti constituentes, fore oppressos et agraviatos per nonnullos officiales dicte sacre, cesaree, catholice et regie maiestatis domini imperatoris et principis, volentes et cupientes et desiderantes nos, dictos constituentes, universitates et singulares dictarum vallium Andorre, privare ab omnibus et singulis privilegiis, libertatibus et franquitatibus per serenissimos dominos bone memorie reges Castelle, Aragonum et aliorum regum nobis seu dictis universitatibus et singularibus concessis, ab quod oporteret si id fieret, quod absit, nos, omnia bona nostra relinquere et alibi mansiones nostras facere in grande dampnum et preiudicium nostrorum, dictorum constituencium, universitatum et singularium dictarum vallium Andorre, nisi confisi de ben[...]e et clementia dicti domini principis. Idcirco, nos omnes, prediti co[nstinue]ntes, nominibus nostris propriis ach dictarum universitatum et singularium dictarum vallium Andorre, gratis et ex certis nostris scienciis, circa tamen revocationem aliorum quorumcumque sindicorum, actorum et procuratorum nostrorum actenus constitutorum, facimus, constituimus, creamus et solempniter ordinamus syndicos, actores et procuratores nostros et dictarum universitatum et singularium earundem vos, venerabiles [Petrum] Domenge, presbiterum benefficiatum benefficiorum beate Marie et sancti Stefani institutorum et fundatorum in ecclesia parrochiali Beatorum Cornelli et Cipriani parrochie de Ordino, et Guillermmu Bons loci de Pal, parrochie de la Massana, presentes et onus huiusmodi sindicatus in vos et quemlibet vestrum [assumentes], ita quod primitus ocupantis condicio pocior non existat nech deterior subsequens, sed quorum[dem] vestrum inceptum fuerit per alium mediari, terminari, prossequi valeat et finiri ach dicti totaliter ad affectum et valeat tantum et tantam roboris firmitatem obtineat quantum valeret si per ambos insimul procuratum et actum fuisset sive gestum, videlicet ad comparendum et interessendum pro nobis et nomine nostro et dictarum universitatum et singularium in predicta generali curia, una cum aliis in ipsa curia tractantibus, et ad supplicandum que prefate sacre, cesaree, catholice et regie maiestati vel dicti domini imperatoris, serenissimi principis Castelle, Aragonum ach Hispanie, pro nobis et nomine nostro ach dictarum universitatum et singularium dictarum vallium Andorre quatenus dignentur ach velint nos conservare statuta, privilegia, libertates et granquitates ach usancias per serenissimos dominos bone memorie reges nobis concessa et concessas ach etiam quecumque privilegia, statuta [laudabiles], usus et

consuetudines, provisiones, franquitates ach libertates pro nobis, dictis constituentibus, universitatibus et singularibus dictarum Vallium impetrandum et obtinendum, necnon ad interessendum et interveniendum in omnibus et singulis tractatibus ipsius curie faciendis et peragendis, a principio usque ad finem, ad quascumque supplicationes, petitiones et demandas in dicta curia producendum. Et ad agendum, ducendum, tractandum, procurandum, prossequendum, finiendum et fine debito terminandum omnes et singulas causas, lites, questiones, petitiones et demandas, tam principales quam appellatorias, motas, pendentes et movendas inter vos, dictis nominibus, parte ex una et quasvis alias personas cuiusvis dignitatis, preminencie ach status existant, tam agendo quam etiam in deffendendo. Et pro predictis in dicta curia standum et comparendum, libellos, posiciones et articulis dandum et producendum et productos ex adverso obeciendum et contradicendum, littem et lites contestandum, ponendum, proponendum, excipiendum, replicandum, triplicandum, protestandum et movendum et protestatas, monitis et requisitis, fieri faciendum et recipiendum, publicum et publica instrumenta, iuramentum calumpnie et veritatis dicendum et aliud quodcumque necessarium et oportunum in animas nostras ach dictarum universitatum et singularium prestandum et [subveniendum] et quodcumque aliud quod occurrerit generis iuramentum, testes vero instrumenta, privilegia, [rescripta] et alia [instru]menta et probationum genera dandum et producendum et productos ex adverso obiciendum et contra [...] repellendum, testes iurari videndum et eorum iuramenta et interrogatoria [contes]tandum in [...] et scriptores recusandum et suspectos dandum et causas suspicionum ponendum, allegandum et [... eli]gendum et nominandum qui dictas suspicionum causas decidant, sententiam et sentencias, tam [interlocutorias quam deffinitivas, audiendum], mandata et declarationes petendum et audiendum et a quocumque [gravamine illato ... ferendo ...] appellandum. [...] petendum [...] appellationem seu appellationes faciendum, [...]endum et intimandum et prossequendum, contumacias acusandum et comissos et acusatos purgandum, expensas petendum, in causis renunciandum et concludendum. Et ad supplicandum in curia et extra curiam pro bono statu Terre, et quod gravamina nobis, dictis constituentibus, universitatibus et singularibus, oblata et facta per quoscumque officiales reparentur et emendentur, et ad bonum statum reducendum et tornentur, et ipsa gravamina nobis, dictis nominibus, ach dicta universitate et singularibus facta et oblata prossequendum et eorum causas ducendum, tractandum et finiendum et fine debito terminandum, iuramenta in animas nostras, dictorum constituencium, universitatum et singularium prestandum et ex adverso [pr]estari [re]quirendum et postulandum, necnon comodum et utilitatem dic[te

terre Andorre] utilia et opportuna laudandum, aprobandum et ad contra[dicen]dum et discenciendum ach protestandum eiis omnibus et singulis que contra libertatem predictarum Vallium et personarum earundem, quod absit, tractarentur seu ordinarentur, et aliis omnibus quibus contradicendum et protestandum fuerit protestandum, et demum omnia alia et singula in predictis et circa predicta necessaria et oportuna faciendum et libere excercendum. Nos enim, dictis nominibus, in et super predictis omnibus et singulis que in dicta curia tractabuntur donamus vobis potestatem plenissimam consenciendi et discenciendi et huich sindicatu procurationi addere si quid substancie vel solempnitatis ad exequendum contenta in presenti sindicatu necessarium fuerit quemadmodum vobis, dictis sindicis seu actores, vestrum videbitur faciendum, cum potestate unum vel [duos] procuratores substituendi, eidem vel eos destituendi et revocandi, et suspectos dandi et alium seu alios si vobis seu altero vestrum videbitur de novo creandi. Promittimus vobis, dictis sindicis, et utroque vestrum, dictis nominibus, et notarioque etiam infrascripto, tanquam publice persone pro vobis et pro aliis etiam personis omnibus et singulis quarum interest et intererit recipienti et paciscenti ach etiam legittime stipulanti, ac etiam iuramus per dominum Deum et eius sancta quatuor Evangelia manibus nostris et utriusque nostrum dextris gratis corporaliter et sponte tacta nos semper habere ratum, gratum, validum atque firmum quichquid per vos, dictos syndicos, seu per alterum vestrum insolidum et substituendum vel substituendos a vobis et ab utroque vestrum in predictis et circa ea procuratum et actum fuerit sive gestum et illud nunquam revocare sub bonorum nostrorum dictorum constituencium, universitatum et singularium yppoteca et obligacione.

Actum est hoch in loco et parrochie de Ordinum, vallium Andorre, die septima mensis iulii, anno a nativitate Domini millesimo quingentessimo quinquagesimo secundo.

Sig+++++na nostrum Ioannis Raymundi Fontana, Ioannis Vidal, Petri Martiris Viciat, Ioannis Bonit, Geraldi Tomas, Ioannis Thomas, Ioannis Anthonii Torres, alias Beringuer, Bernardi Rossell, alias Casal, Anthonii Pal, Arnaldi Vidal, Anthonii Rossel, Guillermi Oliva, Ioannis Gibergua, Petri Puy, Anthonii Torner, Guillermi Bons, Bartolomei Ricart, Iacobi Babot, Gervasii Moles, Micaelis Albinyà, Raymundi Danís, Ioannis Martí et Antonii Thor, predictorum, qui hech laudamus, firmamus et iuramus.

Testes huius rey sunt: Micael Rull, baiulus de Arcavello, et Ioannes Renalt, parator civitatis Urgellensis¹.

1. *Document barrat amb tres línies verticals que indiquen que es va fer la redacció en pública forma.*